

nantur, quibus cantatur & non saltant, qui nil aliud habent quam בִּזְרָלַשׁ קַוְלֵץ, Manda manda, expecta expecta: ideo in hac historia uolui expondere, tam ad rei nuper gestae ueritatē, quam ad propediem, sed longe maiori strage & uindicta futuram, ut qui legit intelligat. Quanta fide supersint in alijs regionibus Christiani, uel duo abunde exempla probabunt. Vnum, gestum in ciuitate Samarcanda, ad Hircani maris ortū sita. Quū enim sub illis Chanis Tataris qui opera Regis Armeniæ Haytoni fuerant ad fidem conuersi, Christiani illius urbis construere maxima totius orbis forma tēplum D. Ioh. Baptistę memorij uellent, & ad altissimæ latissimæ que, & ideo super unam columnam in medio sitam quiescentis fornícis machinam sustinendam indigerent summa altitudine columnā, perinde forti uti & alta: Ismaelitæ autem, quorum opes & uires à Christianis principibus tunc affligebantur, haberent columnam iam excisam, quæ operi idonea sustentando erat, coacti sunt illā concedere Christianis, ita ut opus inde dependēret. Cæterūm paulo pōst principibus Christianis uita functis, & Ismaelitis præuentibus, statim populus euertendi templi gratia repetiuit à Christianis suam columnā, unde Christiani ad solius Dei spem conuersi, tanta ui fidei illum implorarunt, ut in sublime eleuata fornix, unā secum quasi unū saxum continuū effet, traxerit columnā plusquā pedali altitudine à sua basi. quo miraculo uix ullum est magis uisendū: & cuius gratia multi Ismaelitæ sunt ad Christum conuersi.